



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones De Matrimonio

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXII. Argumentum. Declarat præsens Decisio impedimentum dirimens Cognationis Naturalis, tradita ejus definitione, ac explicatione Stipitis, Lineæ, & Graduum, cum tribus regulis pro eorum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94595)

458. num. 19. & alii plurimi congesti à Justo d. libr. 2. de Dispensationib. cap. 13. num. 16. ubi in specie ait, Papam posse dispensare cum Equitibus Hierosolymitanis, & aliis Religiosis, ut Matrimonium contrahere valeant; & num. 17. refert Exempla consimilium Dispensationum; prout facit etiam Barbosa de Offic. & pot. Episc. alleg. 15. n. 22.

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

Declarat præsens Decisio impedimentum dirimens Cognationis Naturalis, tradita ejus definitione, ac explicatione Stipitis, Lineæ, & Graduum, cum tribus regulis pro eorum computatione. Docet utique ad quem gradum Cognatio Naturalis dirimat Matrimonium de Jure Canonico? An de Jure naturæ prohibitum sit Matrimonium in primo gradu, tam in linea recta, quam in linea laterali? In quibus gradibus utriusque Lineæ possit Papa dispensare? Ponuntur Exempla, & Historiæ circa dictas Quæstiones. Pœnæ, & punitiones Copulæ incestuosæ.

SUMMARIUM.

- 1 Cognatio Triplex, Naturalis, Spiritualis, & Legalis.
- 2 Naturalis cognatio cur sic vocetur?
- 3 Cognationis Naturalis, seu carnalis, definitio, ac declaratio.
- 4 Stipes quid sit?
- 5 Angeli an sint Dei consanguinei?
- 6 Linea quid sit? & Quotuplex?
- 7 Gradus quid sit?
- 8 Graduum computatio de Jure Civili differt à Jure Canonico.
- 9 Illegitimi Filii de Jure Canonico faciunt gradum.
- 10 Gradus quomodo computentur de Jure Canonico? Regula tres.
- 11 Gradus tum remotior, tum propinquior exponendus in dispensatione.
- 12 Cognatio carnalis usque ad quem gradum dirimat Matrimonium in linea recta?
- 13 Et usque ad quem gradum in linea obliqua?
- 14 Innocentius III Anno 1215. restrinxit impedimentum Consanguinitatis ad quartum gradum.
- 15 Impedimenti Consanguinitatis, & Affinitatis rationes multe.
- 16 Mulierum levitas, & fragilitas.
- 17 Cognatio carnalis an de Jure naturali dirimat Matrimonium? Opiniones tres.
- 18 Matrimonia in primo gradu Consanguinitatis apud quos?
- 19 Matrimonium prohibitum in linea recta in infinitum. Rationes sex.
- 20 Pontifices nunquam dispensarunt in linea recta.
- 21 Mater an possit nubere filio? Vel Filia Patri de Jure naturæ?

- 22 Animalia abhorrent carnalem copulam cum suis genitoribus.
- 23 Matrimonium licitum de Jure natura in linea recta, primo gradu excepto.
- 24 Cap. Non Debet. De Consanguin. & Affin. loquitur de linea recta & obliqua.
- 25 Lex naturalis scripta est in corde hominum.
- 26 Homines sapè operantur contra Legem naturæ.
- 27 Filia Loth an peccaverint, coeuntes cum Patre suo?
- 28 Collaterales cognati an de Jure natura prohibeantur copulari?
- 29 Sara Uxor Abrahami an fuerit ejus Soror? & num. 33.
- 30 Octavia nubuit Neroni Imper. fratri suo.
- 31 Frater, & Soror Jure natura prohibentur simul nuptias inire.
- 32 Abraham cur rogavit Saram Uxorem suam, ut diceret, esse Sororem ejus?
- 33 Sara erat Neptis Abrahami, filia Avæ fratris ejusdem.
- 34 Hebraeorum mos, ut Nepotes dicerentur Filii Avæ, & inter se fratres.
- 35 Papa an possit dispensare inter Collaterales etiam in primo gradu?
- 36 Urbani VIII. dispensatio Matrimonialis pro Patruo, & Nepte.
- 37 Matrimonium Card. Mauritiæ de Sabaudia cum ejus Nepte ex fratre.
- 38 Ludovica Maria Principissa de Sabaudia dictum argutum.
- 39 Papa in omnibus gradibus linea lateralis dispensare potest, primo excepto.
- 40 Excommunicatio contra incestuosos Conjuges. Et alia pœna eorum.
- 41 Heraclii Imperatoris puniitio Divina pro ejus Matrimonio cum Nepte.
- 42 Roberti Galliarum Regis incestuosæ Nuptiæ à Deo puniæ.

Post impedimentum Voti, inter dirimentia sequitur Cognatio; quæ quidem est Triplex, Naturalis, Spiritualis, & Legalis; de quarum prima in præsentī Decisione est agendum; de aliis duabus in sequentibus. Et eundem circa Cognationem Naturalem sex sunt examinanda, & videnda.

- 1 Quid sit Cognatio Naturalis?
 - 2 Utque ad quem gradum dirimat Matrimonium de Jure Canonico?
 - 3 Utque ad quem gradum de Jure natura inter ascendentes, ac descendentes in linea recta?
 - 4 Utque ad quem gradum de Jure natura inter Collaterales in linea transversali?
 - 5 An Papa possit dispensare in omnibus gradibus inter Collaterales Consanguineos?
 - 6 Quibus pœnis, ac punitionibus afficiantur Consanguinei in gradibus prohibitis Matrimonium simul contrahentes?
- Quo ad Primum. Cognatio Naturalis ita nominatur, quasi eadem natio, quia per eam plures ab uno stipite nascuntur, & dicuntur cognati, tanquam ab eodem nati: vocatur quoque Consanguinitas, quasi Sanguinis Unitas; prout descendentes ab eodem stipite nuncupantur.

pantur *Consanguinei*, idest ab uno Sanguine procedentes, ut docet S. Thomas in 4. dist. 40. q. Unica. art. 1. & in Addit. 3. p. q. 54. art. 1. ubi talem tradit carnalis cognationis definitionem. *Cognatio carnalis*, seu *Consanguinitas*, est *vinculum personarum ab eodem stipite descenditum*, *carnali propagatione contractum*; cui moderni addunt, *ab ipso stipite in diversas lineas, & gradus diffusum*. Ex declaratione singulorum Verborum hujus definitionis Studiosus Lector totam doctrinam Cognationis carnalis, naturalis, seu consanguinitatis percipiet. Dicitur itaque quod ea est *Vinculum*, non formale, sed metaphoricum, quatenus consanguinei, cum ab eodem Sanguine oriantur, majori familiaritatis, & amoris nexu connectuntur.

Dicitur *Personarum*, idest creaturarum rationalium, ad differentiam brutorum; siquidem consanguinitas consideratur in hominibus tantum, quia hi capaces sunt veri amoris, & amicitiae; non autem in brutis, quae moventur ad copulam carnalem libidinis aestu, & non amore amicitiae, ut docet Aristoteles 5. *Ethicor. cap. 11*. Dicitur, *ab eodem stipite descenditum*. Nam stipites est illa persona, à qua descendunt aliae, de quarum cognatione tractatur; & quae dat principium lineis eorumdem descenditum; idcirco intelligendum est de stipite proximo, non de remoto; alias omnes homines essent consanguinei; cum omnes descendant vel ab Adamo, vel à Noe remotissimis stipitibus. Proximus autem stipites attenditur, à quo consanguinitas oritur, & ex cujus origine amor, similitudo, & familiaritas inter consanguineos conservatur. Dicitur *carnali propagatione contractum*; tum ad differentiam Cognationis *Spiritualis*, quae in Patris per susceptionem in Baptismo, ac Confirmatione contrahitur; nec non *Legalis*, quae per adoptionem extraneorum in filios gignitur; tum ad discrimen Angelorum, inter quos, & Deum non datur consanguinitas; quia licet ab illo fuerint producti, factum fuit per creationem, non per propagationem carnalem; ut notant Justus de *Dispensationibus Matrimonialibus lib. 2. cap. 3. num. 5.* & Salmanticenses *tract. 9. de Matrimon. c. 12. num. 6*, ubi subdunt, quod neque Eva fuit formata per carnalem propagationem Adæ, & quod inter eos non fuit vera consanguinitas; sed utique inter Redemptorem nostrum JESUM CHRISTUM, & Beatissimam Virginem ejus Matrem; quia ex ejus purissimo Sanguine fuit conceptus per virtutem Spiritus Sancti, & quemadmodum ex aliis matribus, fuit carnali propagatione productus, purissima Virginitate illa servata, & ceteris omnibus concurrentibus, quae ad naturalem procreationem exiguntur.

Dein additur in definitione ab ipso stipite *in diversas lineas, & gradus diffusum*. Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descenditum, & continet tam masculos, quam foeminas. Rota coram Merlino *decif. 228. num. 20*. Et est duplex, alia *Recta*, & alia *Transversalis*, seu *Obliqua*. Linea illa *Recta* dicitur, quae est *collectio eorum quorum unus ab altero descendit*; ut Filius à Patre; siqui-

Nepos à Filio; Pronepos à Nepote; & sic deinceps: Et quamvis hæc linea *Recta* in se sit unica, tamen subdividitur in duas, quarum una appellatur *Ascendentium*, per quam progredimur numerando, & incipiendo ab ultimis genitis donec perveniamus per ascensum ad primum stipitem, seu genitorem; & alia nuncupatur *Descendentium*, per quam incipientes à Superioribus Parentibus descendimus numerando usque ad ultimum genitum. Linea *Transversalis*, seu *Obliqua* est *Collectio eorum, qui ab eodem stipite descendunt, sine eo, quod unus ab alio ortum ducat*; ut sunt Fratres consobrini & eorum descendentes inter seipsos respectivè. Hæc pariter subdividitur in Lineam *aequalem*, & in Lineam *inaequalem*. Illa dicitur *aqualis*, in qua ab utraque parte personæ distant æquali gradu ab uno stipite, ut duo fratres. *Inaqualis*, quando inæqualiter se habent respectu unius principii, ut Patruus, & Nepos.

Gradus est *distantia unius persone ad aliam*; sive est habitudo distantiarum personarum, qua cognoscitur, quota Agnationis, seu Cognationis distantia duarum personarum inter se differant, Et dicuntur Gradus ad similitudinem scalarum, & locorum proclivium, per quos vel ascendimus, vel descendimus, & gradimur de proximo in proximum; sive sursum ascensuri, sive descensuri deorsum. *l. Jurisconsultus. §. Gradus. ff. de Gradibus Justus d. lib. 2. cap. 3. num. 7.* & Salmanticenses *d. cap. 12. num. 7*.

Porro circa computationem graduum notanda sunt duæ differentiae inter Jus Civile, & Jus Canonicum. Una est, quod de Jure Civili Spuri, seu Filii vulgò quæsi, non censentur Consanguinei; nec veniunt sub nomine consanguineorum, aut agnatorum. *l. Si Spurius. ff. Unde Cognat. Rota part. 4. recent. Decif. 616. num. 1.* Gratian. *Discept. Forens. cap. 218. num. 18.* & Cevalos *Commun. contra com. quest. 757. num. 47. & 48.* & idem prædicti non faciunt gradum, neque numerantur inter illos de familia. At de Jure Canonico, quia negari non potest, quod etiam illegitimi, & Spuri, naturali jure inspecto ex eodem sanguine procedant; idem ubi agitur de Matrimonio impedimento computantur & ipsi, faciuntque gradum prout faciunt etiam legitimi. Reginaldus *lib. 31. num. 140.* Rota post Vivian. *de Jurepatron. Decif. 45. num. 2.* nullumque est discrimen inter legitimos, & illegitimos. Gonzalez *ad Reg. 8. Cancel. Glossa 5. num. 126.* Altera differentia est, quod de Jure Civili in computandis gradibus lineæ collateralis, seu transversalis, incipendum est à Persona, de cujus distantia quæritur, & est ascendendum usque ad stipitem communem, ac ab eo iterum est descendendum usque ad alium transversalem, de cujus pariter propinquitate, seu distantia disputatur; & qualibet persona in ipsis collateralibus facit unum gradum, juxta *§. fin. Instit. De Gradibus. Affin.* & sic Frater, & Soror secundum Leges Civiles sunt inter se in secundo gradu; Patruus, nempè duorum Fratrum Filii, sunt in quarto gradu. Justus *d. cap. 3. num. 45. lib. 2.* Aliter tamen est de Jure Canonico circa impedimenta Matrimonii; siquidem;

dem, ut mox dicemus; quoto gradu remotior persona transversalis distat à communi stipite, ipso dempto, eodem distat ab altero, quamvis in æquali, vel in proximiori gradu distet à stipite.

Igitur pro recta computatione graduum secundum Canones, & in materia Matrimonii, tres notandæ sunt Regulæ traditæ à D. Thoma in 4. dist. 40. quest. unic. art. 2. & in Supplement. 3. part. quest. 54. art. 2. in corp. ad 7. Prima Regula est: In Linea Recta tot gradibus unus ab alio distat, vel coniungitur, quot generationibus ab eodem stipite descendit. Hinc quia Filius una generatione descendit à Patre; uno gradu distat ab illo. Nepos duabus generationibus descendit ab Avo: sic duobus gradibus distat ab eo. Secunda Regula est. In Linea Transversali æquali tot gradibus descendentes à communi stipite distant inter se, aut inter se junguntur, quot gradibus communi stipiti, eo dempto, sunt iuncti, vel distantes. Idcirco duo Fratres uno solo gradu distant à Patre, qui est eorum stipes, & uno solo gradu distant inter se. cap. Parentela. & cap. Ad sedem. 35. quest. 5. Tertia Regula pro Linea Transversali inæquali est. Tot gradibus unus alteri iungitur, vel ab eo distat, quot gradibus remotior distat à communi stipite. Quapropter Nepos duplici gradu distat ab Avo, & idem Patruus, frater patris ejus, duplici gradu distat à Nepote. Has tres regulas, præter S. Thomam assignant communiter omnes Theologi, & Canonistæ; & præcipue Sanchez de Matrimon. lib. 7. dist. 50. num. 4. Palaut dist. 4. punct. 7. n. 3. Salmanticenses, alios allegantes d. cap. 12. num. 9. Mastrius in 4. sent. d. dist. 7. n. 453. Emin. Card. de Lauræa dist. 25. art. 2. per totum, quem concludit his verbis: Collige ex his, quod Linea collaterales semper dicuntur æquales, quando persona, quæ posita sunt ex utraque parte, æqualiter distant à communi stipite. Quando verò una persona distat magis quàm alia, vel in eodem plano, vel secundum Lineam ascendentem, & descendentem, dicuntur Linea inæquales. Collige 2. Quod nunquam multiplicantur gradus in arbore cujuscunque consanguinitatis, nisi multiplicentur propagationes; & proinde semper tot sunt gradus, quot propagationes.

Tandem notare debet Studiosus Lector pro Praxi, quod quando petitur dispensatio Apostolica super aliquo gradu prohibito Matrimonii, etsi ipsa dispensatio concedatur super solo gradu remotiore, tamen exponendus est etiam gradus propinquior, si contrahentes sint in differenti gradu, puta in quarto, & in tertio, Sanchez libr. 8. dist. 24. num. 24. & 25. Aversa quest. 16. sect. 1. Vers. Secluso. Barbosa in Votis Canonici lib. 1. vot. 3. num. 5. & 6. Genuens. in Praxi cap. 20. num. 10. & aliis citatis Iustus d. libr. 2. cap. 3. num. 37. & seqq. ubi advertit, utriusque gradus inæqualis narrationem esse necessariam, quia dispensatur super remotiore; & dantur Litteræ declaratorię, quod gradus propinquior non obstat dispensationi juxta Bullam B. Pii V. Incipien. Sanctissimus, cujus tenorem ad verbum refert Pyrrhus Corradus in Praxi Dispensat. Apostol. lib. 7. num. 58. Quæ Litteræ declaratorię si omit-

tantur, dispensatio remanet invalida, ut declaravit Urbanus VIII. & ex stylo introducto restantur Barbosa d. libr. 1. voto 4. num. 16. Bonacina de Legib. dist. 1. quest. 2. punct. 5. n. 17. & Iustus d. libr. 2. cap. 3. num. 41. ex quibus cessat altercatio Doctorum disputantium, an præter gradum remotiorem sit exprimendus etiam gradus propinquior in petenda dispensatione; certum est enim eum esse exprimendum (ut dictum est) sub pœna nullitatis ejusdem dispensationis ex dicta declaratione Urbani VIII. & monitione ipsius Pyrrhi Corradi, & ac Justii versatissimorum in Curia, in his dispensationibus expediendis. Addit Iustus ipse ibidem num. 43. quod si petenda sit dispensatio super primo, & secundo à communi stipite gradu, non dantur Litteræ declarationis super primo; sed dispensatur super utroque gradu, quia quilibet ex dictis gradibus constituit impedimentum de per se.

Quo ad Secundum, in quo quaeritur, utrum ad quem gradum Cognatio carnalis, seu Consanguinitas dirimat Matrimonium? Distingueri oportet Lineam Rectam à Linea Transversali. Siquidem in Recta Linea dirimit utrumque in infinitum, adeo ut si Adam viveret, Matrimonium cum nulla muliere posset contrahere de Jure Canonico. Probat dupliciter: primo, quia Jus Canonicum antiquum præcipiebat servari prohibitionem graduum in Matrimonio factam à Lege Divina, & à Lege Civili. cap. Coniunctiones. 35. quest. 2. & 3. ubi S. Calixtus I. Papa electus Anno 221. in Epist. 2. ad Episcopos Gallie ita scripsit: Coniunctiones consanguineorum fieri prohibere, quando hæc & Divina, & sæculi prohibent Leges. Sed ex Lege Divina prohibitum esse Matrimonium inter ascendentes, & descendentes usque in infinitum, & sic in quocunque gradu Lineæ rectæ, docent communiter omnes Doctores, ut testatur Cornelius à Lapide in Levit. cap. 18. Vers. 18. ibi: Denique communis Doctorum Sententia est, solos gradus consanguinitatis Lineæ rectæ inter ascendentes, & descendentes jure natura irritum facere Matrimonium. Ex Lege autem Civili Nuptias esse prohibitas inter eosdem ascendentes, & descendentes per Lineam rectam usque in infinitum, habetur in 1. Nuptia. ff. de Ritu Nuptiar. & ita tenent Emin. Card. Bellarminus de Matrim. tom. 3. Controv. cap. 28. in princ. Sylvester Verb. Matrimonium 8. quest. 6. post explicationem Arboris. Navarrus in Summa cap. 22. num. 84. Layman lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 6. assert. 2. Emin. Cardin. Tuscus Litt. P. conclus. 69. num. 32. & alii plurimi relati à Sanchezio libr. 7. de Matrim. dist. 51. num. 12. & à Justo d. libr. 2. cap. 3. num. 57. & 58. ubi subdit, nullam usque adhuc reperiri memoriam, quod in Ecclesia Catholica dispensatum sit in aliquo gradu Lineæ rectæ, ut possit contrahi Matrimonium.

In Linea autem transversali, & obliqua duo tempora sunt distinguenda quo ad prohibitionem graduum inter consanguineos, ac irritationem Matrimonii inter eos de Jure Canonico. Primum tempus est ab initio Ecclesiæ usque ad 13. tempus Innocentii Papæ III. qui fuit electus Pontifex.

Pontifex Anno 1198. nam in omnibus illis duodecim sæculis Matrimonium erat prohibitum inter Consanguineos Lineæ transversalis usque ad septimum gradum; aded ut cognatio carnalis inter eisdem impendebat, ac dirimebat Matrimonium usque ad dictum gradum septimum inclusivè, ut legitur in *cap. Nullum. 35. quest. 2. & 3.* ubi Julius Papa I. qui præfuit Ecclesiæ Anno 336. sic loquitur: *Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel Uxoris, usque ad septimum generis gradum Uxorem ducere, vel incesti macula copulari.* Quæ Juris Canonici dispositio legitur repetita, ac innovata per prædictorum duodecim sæculorum cursum in innumeris propè Conciliis, ac Summorum Pontificum decretis, quæ cumulantur, & referuntur à Basilio Pontio *libr. 7. cap. 30. num. 1.* & ab Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 25. art. 3.* ubi *num. 31.* advertit, quod S. Gregorius Magnus omnium primus dispensavit pro Anglis, suo tempore ad fidem conversis, ut in quarto, & quinto consanguinitatis gradu eorum Matrimonia valerent, prout in *lib. 12. Epist. 21. cap. 6.* legitur; & habetur in *cap. Quadam lex. 35. q. 2. & 3.* Secundum tempus est illud Innocentii Papæ III. qui convocavit Concilium Lateranense IV. Anno 1215 & in eodem, *can. 50.* sic fuit statutum: *Prohibitio quoque copulae conjugalis, quantum Consanguinitatis, & Affinitatis gradum de cetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non preest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.* Qui canon repositus est in *cap. Non debet. 8. de Consanguin. & Affinit.* Plures autem fuerunt rationes, quibus introductum fuit hoc impedimentum dirimens cognationis carnalis ab initio Ecclesiæ usque ad septimum gradum; videlicet, quia cum Matrimonium institutum sit à Deo ad fovendam charitatem, & familiaritatem inter homines; eo non erat opus inter proximos consanguineos, qui inter se erant sanguine, ac naturali benevolentia conjuncti: item quia actus conjugalis, ob turpitudinem sibi innatam, valde offit pudori, ac reverentia debita parentibus; ideo conveniens fuit extra plures gradus illud collocare. Prout etiam quia cum inter consanguineos magna familiaritas habeatur, magnam quoque jacturam castitas patetur, si inter eosdem omnes copula Matrimonialis esset possibilis. Rationem verò restrictionis usque ad quartum gradum factæ sub Innocentio III. ostendit Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 2. de Ref. Matrim.* his verbis: *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum, multoties in talibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Aliam rationem reddit Nicolius *Instit. Civil. libr. 1. tit. 10. de Nuptiis num. 38.* quia videlicet Mulier ob ejus levitatem, ac fragilitatem eget auxilio multorum; & usque ad quartum gradum præsumuntur consanguinei parati eidem levitati, ac fragilitati opem ferre, at non ultra; ideo eorum vices supplet Maritus. Quod autem Mulier sit levis, ac fragilis testatur Glossa

in *cap. Forus. in Verb. Varium. De Verb. signific.* his verbis:

Quid levius fumo? Flamen. Quid flamine?

Ventus.

Quid vento? Mulier. Quid muliere?

Nihil.

Quo ad Tertium. Si quærimus usque ad quem gradum de Jure naturæ cognatio carnalis inter Ascendentes, & Descendentes linea recta dirimat Matrimonium? Tres referri possunt opiniones. Una est, quod in nullo gradu dirimat; aded ut neque in primo gradu inter Patrem, & Filium; & vice versa inter Filium, & Matrem. Argumenta sunt tria. Primum, quia quod lex non dicit, non est ab homine præsumendum. *cap. Illa. Ne Sede Vacant. l. Disfidentis. G. De Repud.* Sed nullibi legitur scriptum, de Jure naturali Matrimonia iniuri non posse inter ascendentes, & descendentes in quocunque gradu. Ergo pro quocunque gradu inter eosdem Jure naturali nulla est prohibitio. Si enim hoc Jus prohibere voluisset, expressisset, *cap. Ad audientiam 2. de Decim. cap. 2. de Transact. l. Unica §. Sin autem. C. De caduc. tollen. l. Si servus. §. Prator ait. ff. De acquirend. heredit.* Id enim lex præsumitur noluisse, quod facile poterat exprimere, & non expressit. Barbosa *Axiom. 136. num. 6.* & ibi DD. Secundum argumentum: Non est contra Jus naturale, si Filius sit æqualis, vel etiam major suæ genitoribus, ut sæpe fit in contractibus; & quotidie videmus in dignitatibus vel Senatoriis, vel Episcopalibus, vel Cardinalitiis. Tertium est: Non potest dici de Jure naturæ vetitum, quod à pluribus nationibus fuit factitatum. Sed Indos, Æthiopes, ac Medos cum Matribus, & filiabus concumbere solitos, testis est S. Hieronymus *libr. 2. contra Jovinian. 18. an.* Et de aliis gentibus ait Euripides in *Andromede*:

Tale est omne barbarum genus,

Pater cum Filia, Filius cum Matre, Miscetur.

Et, ut de aliis taceam, in Officio S. Wenceslai Ducis, & Martyris die 28. Septembr. habemus, quod ejus Mater Drahomira alium filium suum juniorem Boleslaum in maritum sibi tenebat. Concordat Emin. Card. Palæotus *De Notis, & Spuriis cap. 3.* ubi affirmat, id fuisse in usu apud Persas, Medos, & Parthos juxta illos Versus:

Gentes tamen esse feruntur,

In quibus & Nato Genitrix, & Nata Parenti,

Jungitur, ut Pietas geminato crescat amore.

Quartum est argumentum de filiabus Lot, quæ cum eo dormierunt, & ut ait Textus sacer in *Genes. 19. 36.* *Conceperunt dua filia Lot de Patre suo, & eas excusat à peccato S. Ambrosius libr. 1. de Abraham cap. 6.*

Secunda opinio est, quod Jure naturali carnalis cognatio impedit, & dirimit Matrimonium inter Ascendentes, & Descendentes Linea recta usque in infinitum; itaut si Adam modò resurgeret, cum nulla foemina posset Matrimonio conjungi. Ita Scotus in *4. dist. 40. quest. Unica. art. 2.* Rebellius *libr. 3. quest. 5. sect. 2. num. 2.* & alii citati per Salmanticenses *d. cap. 12. de Matrim. num. 14.* quibus addendi, quos

allegat Eminentiss. Cardin de Lauræa *d. disp. 25. art. 4. num. 48.* nempe Durandus *in 4. ead. disp. 40. quest. 1. num. 9.* Richardus *ibid. art. 1. quest. 3.* Divus Antoninus *3. part. tit. 1. cap. 14. §. 2.* Vasquez *2. 2. disp. 112. n. 7.* & alii multi, quos cumulat Sanchez *de Matrim. libr. 7. disp. 51. num. 12.* ubi refert eorum sequentia fundamenta. Primum est, quia Natura respuit Matrimonium inter parentes, & liberos ratione reverentiæ illis ab his debita; major autem reverentia debetur parentibus remotioribus, quibus imò tanto magis obsequi juniores descendentes debent. Sed hæc reverentia destruitur per Matrimoniale societatem. Ergo inter ascendentes, & descendentes in linea recta Jus naturale non admittit Matrimonium. Secundum, quia etsi inter remotiores ascendentes, & descendentes sit minor indecentia, quo ad Sanguinem, tamen est major indecentia quo ad ætatem, siquidem si Avus vellet ducere mulierem à se recta linea descendente extra quartum gradum, opus esset, ut ipse haberet annos saltem octoginta, Sponsa verò annos duodecim, ut quilibet numerando generationes quinque calculare potest. Idèd, ob magnam indecentiam inæqualitatis annorum, Jus naturæ non admittit conjugium inter ascendentes, ac descendentes in recta linea. Tertium fundamentum est; quia omnes superiores ætate, ratione principii habent qualitatem Patrum; & descendentes ab eis illam filiorum; Idèd Christus Dominus ratione ejusdem principii *Matth. 1.* vocatur Filius David, & Filius Abraham. Ergo quamvis inferiores sint in gradu valdè remoto, cum reputentur Filii ascendentium, non potest de Jure naturæ inter hos, & illos stare Matrimonium. Quartum: Quia Leges Civiles prohibent quodcunque conjugium inter eosdem tanquam repugnans Juri naturali. *§. Ergo non omnes. Inst. de Nuptiis l. Nuptia. §. 3. & l. Nihil. §. 4. ff. de Ritu Nupt.* Quintum: Quia Jus Canonicum *in cap. Non debet. De Consanguin. & Affinit.* corripuit Jus Civile, & illud restrinxit ad quartum gradum pro Matrimoniis inter cognatos in linea transversali; at inter illos linea recta nihil disposuit. Ergo reliquit Jus Civile in suo robore; & sic venit observandum. *cap. 1. De Novi operis nunciat. DD. apud eundem Sanchezium libr. 1. de Matrim. disp. 6. num. 24.* Sextum: quia, ut dictum est supra *num. 12.* certè nullibi reperitur, quòd Summi Pontifices in cursu tot sæculorum, unquam dispensaverint super Matrimonio inter ascendentes, & descendentes in linea recta; undè sequitur, quòd in Ecclesia Catholica per annos mille, & septingentos nullus ascendens duxit in uxorem aliquam mulierem à se recta linea descendente; neque nulla mulier aliquem Virum à se linea recta progenitum. Idèd ita tenent viginti octo Canonistæ; ac sex & viginti Theologi, quos nominat, & citat ipse Sanchez *d. libr. 7. disp. 51. num. 12.* quibus adstipulantur etiam Mastrius *d. disp. 7. de Matrim. num. 457.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 25. num. 55.* ubi subdit, quemlibet experiri in se naturalem quandam horrorem circa copulam carnalem cum suis ascendentibus, vel descendentibus recta linea, ut neque de ea audeat cogitare.

Tertia opinio, & quidem communior est, quòd Jure naturæ inter ascendentes, & descendentes in linea recta Matrimonium sit irritum in primo gradu tantum, itaut non possit fieri inter Patrem, & Filium; nec inter Filium, & Matrem: in cæteris verò gradibus ex prædicto jure non sit irritum. Probatur prima pars, quòd in primo gradu fieri non possit. Primum, quia in institutione Matrimonii dixit Deus, *Gen. 2. 24. Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Igitur Jure naturæ Pater, & Mater relinquiendi sunt, quando facienda est Uxor conjunctio. Ita S. Bonaventura *in 4. disp. 40. quest. 3. num. 25.* Nec quis dicat per illa verba esse hanc irrationem de Jure Divino: quia, ut ait Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 25. num. 51.* non fuerunt prolata à Deo, sed ab Adamo, Divino afflante Spiritu in corde ejus interno; & hæc dicitur Lex naturalis juxta illud *Psal. 4. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Secundò probatur Auctoritate S. Ambrosii, qui *Epist. 66. ad Paternum* scripsit, *Matrimonium Parentis cum filia repugnat Legi naturæ scriptæ in cordibus hominum, adeò horribilis, & turpis est congressus iste.* Tertio probatur, quia nimis præjudicaretur reverentiæ naturaliter debita genitoribus, si inter ipsos, ac eorum genitos carnalis copula exerceretur; hinc præceperat Deus in *Levit. 18. 7. Turpitudinem Patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus,* quo loco commentatur Cornelius à Lapide: *Vetatur hic Matrimonium, & copula cum Patre, & matre, & idem notat ibidem Tirinus.* Probatur Quartò, nam quòd est commune omni Nationi absque Lege positiva ab eis condita, dicitur esse de Jure naturæ. *cap. Jus naturale, disp. 1.* Sed talis horror circa conjunctionem Parentum cum filiis est communis omni Nationi; nulla enim habet hoc in usu, (exceptis quibusdam efferatis gentibus, vel impiis hominibus, de quibus mox dicemus) nam etiam Gentiles in hoc primo gradu, in linea recta, abstinebant, & abstinendum esse à conjugio sciebant; undè illud Paradisi laudantis Helenam apud Ovidium:

O Jove digna Pro, ni Jove nata fore.
Probatur Quintò exemplis animalium; scribit enim Aristoteles *lib. 1. Histor. Animal. cap. 47.* Camelos nec vi adigi posse, ut Matribus congregiantur; cumque fraude Camelarii pullus quidam contectam Matrem, ne posset agnosci, interfecisset, & postea detractò tegumento eam cognovisset, morsu interfecisse Auctorem. Ibidem narrat Equum quandam generosissimum Regis Scytharum, qui cum Matre congredi nollet, simili artificio deceptum, postea re detecta fugisse, & ex alto se præcipitasse, Guilielmus quoque Parisiensis *part. 1. de Univ. part. 3. cap. 8.* refert, de alio Equo fraudulentè in Matrem admisso, quòd postea sibi genitalia mordicùs præciderit, natura ipsa testante, quàm grave sit piaculum istud. Plura alia exempla his similia congerit Tiraquellus *de Lege Connub. leg. 7. num. 47.* Plinius *lib. 8. cap. 42.* Varro *Rei Rustic. libr. 2. cap. 14.* Lessius *de Just. & Jur. libr. 4. cap. 3.*

cap. 3. num. 78. Emin. Card. Parisius *confil.* 68. num. 353. vol. 4. Emin. Card. de Lauræa d. *diff.* 25. num. 54 quibus addendum est, quod legitur apud Valerium Maximum *libr.* 2. cap. 9. olim scilicet apud Romanos nefas fuisse, Filium cum Patre balneum ingredi, ne se invicem nudos conspicerent.

Secunda verò hujus Tertiæ opinionis pars, quòd de Jure naturæ in aliis gradibus (primo excepto) inter Lineæ Rectæ Ascendentes, & Descendentes Matrimonium non sit prohibitum
23 probatur. 1. Quia in cap. *Gaudemus. De Divor- tiis* Innocentius III. docet, infideles ad fidem conversos non esse separandos à conjugibus, si in secundo, aut tertio gradu contraxerunt, tempore scilicet infidelitatis; quia tunc nisi à primo gradu tenebantur abstinere. At post conversionem non possunt contrahere nisi extra quartum gradum, ut notat Mastrius in 4. *sent. diff.* 7. num. 465. 2. Quia idem Pontifex in *cit. cap. Non debet. De Consanguin. & Affinit.* docet, impedimentum consanguinitatis restringi ad quartum gradum. Ergo id est intelligendum non solum de Jure Canonum, sed etiam de Jure naturæ; & per consequens in cæteris remotioribus gradibus Matrimonium esse licitum etiam inter Ascendentes & Descendentes Lineæ Rectæ. Nec dicat quis, d. cap. *Non debet* loqui tantum de Linea transversali; 24 quia cum nullus alius sit Canon disponens de gradibus Lineæ Rectæ, sequeretur, in eadem linea non esse prohibitum de Jure Ecclesiastico contrahere Matrimonium in secundo, tertio, & quarto gradu; quod absurdum esset asserere, ut bene advertunt Salmanticenses d. cap. 12. de *Matrim.* num. 16. Probatur. 3. Quia Avus, & alii Ascendentes respectu descendunt Neptotum, & inferiorum sunt principium accidentale tantum eorundem; verum enim principium ipsorum est solus Pater; idèd si fieret inter eos Matrimonium, non esset talis irreverentia, quæ Jus naturale offenderet. Probatur 4. Quia quòd magis aliquis distat à suo principio, minor est conjunctio cum illo, & idèd minorem debet ei reverentiam, & sic minor esset indecentia, si Matrimonium inter eos iniretur. Quare hanc Tertiam opinionem amplectuntur S. Thomas 2. 2. *quest.* 154. art. 9. nec non in 4. *diff.* 40. *quest.* *Unic. art.* 3. prout etiam in *addit. ad 3. p. quest.* 54. art. 3. Averla de *Matrim. qu.* 16. *sect.* 1. *vers.* *Ex alia parte*, Castropalaus d. *diff.* 4. *punct.* 7. num. 9. Candidus d. *diff.* 28. art. 6. *dub.* 4. & 5. Sanchez de *Matrim. d. libr.* 7. d. *diff.* 51. n. 19. & 20 ubi alios DD. cumulat. Basilus Pontius *lib.* 7. cap. 31. num. 4. Bonacina *quest.* 3. *punct.* 5. § 1. num. 8. Salmanticenses d. cap. 12. num. 15. & ibi alii, inter quos Perez, Diana, & Sylvius; quibus addendi sunt Gobatus *tract.* 9. num. 168 Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. cap. 6. num. 1. & Justus d. *lib.* 2. cap. 3. num. 59.

Restat ut respondeamus argumentis primæ opinionis asserentis etiam in primo gradu Lineæ Rectæ posse subsistere Matrimonium de Jure naturæ inter Ascendentes, & Descendentes. Igitur ad Primum negatur, non reperi legem prohibentem in dicto primo gradu; si-

quidem Lex naturalis prohibens, & respuens talia Matrimonia, scripta est in cordibus hominum, quia abhorrent hæc conjugia; & de hac lege ait Apostolus ad *Rom.* 1. & 2. *Ejusmodi enim legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Item extat Lex Levitici cap. 18. de qua supra, (sive judicialis sit, sive moralis) nec non Lex Canonica in cap. *Gaudemus. De Divor- tiis*; & in cap. *Non debet. De Consanguin. & Affinit.* atque Lex Civilis in l. *Nuptia* 53. & l. *Nihil* 54. De *Ritu Nupt.* supra recensita, quæ innuntur Legi naturæ. Ad secundum responderetur, æqualitatem Filii cum parentibus in contrahendo; ejusve superioritatem in dignitatibus non concludere; quia in his non adest turpitudine, neque læditur reverentia ipsis parentibus de Jure naturali debita. Responderetur ad Tertium, exempla illa incestuosa in primo gradu Lineæ rectæ nihil concludere; tamquam irrationalia, & contra Jus naturæ ex libidinis furore attentata, quæ reprehenduntur vehementer à Tertulliano in *Apolog.* cap. 9. Constat enim, quòd multa fiunt ab hominibus contra Jus naturale ex aliqua passione, vel cecitate mentis, ut mendacia, homicidia, idololatriæ, & alia turpia. Ad Quartum responderetur, filias Lot excusari per S. Ambrosium à peccato tum ob ignorantiam invincibilem, tum quia cum Civitates Sodomorum comburerentur, ipsæ putarunt, nullum alium hominem remanere in mundo præter Lot earum patrem, quem propterea inebriaverunt, & cum eo in seio carnaliter se conjunxerunt, ne totum genus humanum periret. At subdit ibid. Cornelius à Lapide *vers.* 31. *Contrarium docet S. 27 Augustinus, & communiter Theologi. Primum, quia error dictarum filiarum, & ignorantia erat vincibilis. Secundò, quia concubitus filia cum Patre est contra omnem naturæ pudorem; unde nullo casu, aut necessitate licitus est, nisi Deus dispense, eumque concedat.* Remanet itaque inconcussa opinio hæc communis, quòd Matrimonium sit irritum Jure naturæ inter Patrem, & Filiam; atque inter Filium, & Matrem.

Quo ad Quartum; In quo quæritur, usque ad quem gradum Cognatio carnalis, seu Consanguinitatis impediatur, & dirimat Matrimonium de Jure naturæ inter Cognatos, & Consanguineos lineæ oblique, seu transversalis? Dux sunt 28 opiniones, ac sententiæ. Prima tenet, quòd in nullo gradu Jus naturale impediatur, aut dirimat Matrimonium inter prædictos. Primum, quia in principio mundi filii, & filia Adami, & respectivè fratres, & sorores adinvicem connubia simul inierunt. Nec est dicendum, Deum tunc dispensasse ob necessitatem, & deficientiam aliorum hominum; quia non est conveniens asserere, Summum Opificem ab initio naturæ dispensasse contra Jus naturale. si per hoc Matrimonium esset irritum inter fratres, & sorores. Secundò, quia Abraham Vir Sanctissimus duxit in Uxorem Saram sororem suam, ut fassus est ipsemet Abimelecho Regi Geraræ, ut habetur *Genes.* 20. 12. ibi: *Vere soror mea est, filia Pa- 29 tris mei, & non filia Matris mee, & duxi eam in Uxorem.* Tertiò, quia Thamar filia David,

David, cum eam Amnon frater ejus cogeret ad carnaliter concumbendum cum ipso, dixit 2. Reg. 13. 12. *Noli Frater opprimere me, noli facere stultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Ergo sciebat, Regem potuisse eam dare illi in Uxorem. Ergo tale connubium non erat contra Jus naturale. Quarto, quia apud plurimas Nationes fuit in usu, ut sorores nubarent fratribus suis, ut ex antiquis Historicis notat Tirtius in *Levitic. 18. 7.* Quinto quia Octavia Romana nupsit Neroni Imperatori fratri suo, teste Tacito *lib. 15.* & eodem Tirino in *Chronico cap. ult. ad Annum 8. Neronis.* Sexto, quia frater, & soror non sunt directe una caro, sicut Pater, ac filius, nec inter ipsos repugnat æqualitas, nec est mutua reverentia debita, nec tale conjugium repugnat fini Matrimonii. Ex quibus rationibus, & exemplis hanc opinionem amplectuntur S. Thom. in 4. dist. 40. d. 9. unic. art. 3. & in addit. ad 3. p. q. 54. art. 3. prout antea in 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. & ibi Cajetanus, ac in cap. 18. *Levit.* Castropalaus *disput. 4. punct. 7. num. 11.* Basilus Pontius *d. lib. 7. cap. 32. n. 3.* Averfa *q. 16. sect. 1. vers. Suadetur,* & alii plurimi, quos idem citant, quibus adhærent Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 20.* & quod mirum mihi causavit, ipse Mastrius in 4. sent. d. disput. 7. num. 460.

Secunda opinio tenet, quod etiam in linea laterali Jus naturale impedit, & dirimit Matrimonium in primo gradu, adeo ut sit irritum, nullum, & invalidum si contrahatur inter fratrem, & sororem. Fundamenta hujus opinionis sunt, Primo *d. cap. Gaudemus, de Divort.* in quo Innocentius III. ait, conjuges infideles ad fidem conversos non esse sepeandos, si conjuncti sint in secundo, vel tertio gradu. Ergo si in primo, separari debent, ob nullitatem conjugii provenientem in eis ex Jure naturali, cui tunc erant adstricti. Secundo, quia Papa in sæculis 17. nunquam dispensavit in hoc primo gradu inter fratrem, & sororem. Tertio, quia talia Matrimonia, & illorum copulam plures gentes solo lumine naturæ detestatae sunt, ut refert Aristoteles 2. *Politico. cap. 2.* Quarto, quia idem Abraham in Aegypto apud Pharaonem, & Geraræ apud Abimelech Regem 32 rogavit Saram Uxorem suam, ut diceret, esse ejus Sororem, ne ipse occideretur, idem, inquam, quia cum illi Barbari Reges audirent, Saram esse sororem Abrahami, certo crederent, non potuisse esse ejus Uxorem; quia de Jure naturæ frater, & soror repellebantur à Matrimonio. Quinto, quia actus conjugalibus ob turpitudinem, quam secum affert, adversatur pudori, & reverentiæ, quæ debetur ita sanguine conjunctis. Sexto, quia natura vetando, & respuendo conjugia inter fratres, & sorores voluit consulere harum pudicitia, quæ nimis periclitaretur ob intimam conversationem cum fratribus suis, si hi sperarent, posse sorores in Uxores habere. Quare hanc opinionem tutantur, & defendunt Abulensis *Levit. 28. quest. 5.* Sotus in 4. dist. 40. quest. Unic. art. 2. Henriquez *lib. 12. cap. 9. num. 4.* Emin. Cardin. Toletus in *Summ. lib. 7. cap. 1. num. 2.* Cova-

ruvias in 4. *Decretal. 2. part. cap. 6. §. 10. n. 5.* Sanchez de *Matrim. d. lib. 7. disp. 52. num. 11.* ubi innumeros numerat, quibus novissimè adhærent Justus de *Dispensat. Matrimonial. d. lib. 2. cap. 3. n. 67.* & ibi Bonacina, Layman, Trullench, Filiucci, & alii, ac Eminen. Card. de Lauræa *d. disp. 25. a num. 58.* ubi vocat hanc opinionem probabilissimam. Hac igitur retenta.

Non obstant argumenta pro contraria opinione adducta. Non primum, Quia in principio mundi necessitas fecit, ut filii, & filia Adam copularentur invicem; sic Deo disponente, tanquam faciliori methodo; at post illos naturale Jus observantiam accepit, ut bene differit S. Augustinus *lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.* relatus in *cap. 1. 35. q. 1.* cujus verba tanquam forte asyllum hujus doctrinæ commendat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 25. num. 59.* Non secundum; quia non est verum, quod Sara fuerit soror Abrahami, ei in primo gradu conjuncta; siquidem Sara fuit ejus neptis, tanquam filia Aran Fratris ejusdem Abrahami, qui propterea verè, & propriè erat ejus Patruus, & sic Sara erat cum eo in secundo consanguinitatis gradu lineæ lateralis; ut bene demonstrat Lyranus in *cap. 20. Genesis,* & Cornelius à Lapide in *cod. cap. 20. Vers. 12.* ubi duo dicunt: *Unum,* quod Thare pater Abraham duas habuit Uxores, ex una natus est ei filius Aran, ex altera ortus est ei Abraham. Ex dicto Aran nata est Sara, & Loth. *Alterum,* quod mos fuit Hebræis, ut omnes nepotes respectu Avia dicerentur Filii, & respectu ipsorum vocarentur Fratres. Igitur Sara hac de causa vocabatur filia Thare Avi sui, & soror Abrahami Patruui sui; sicut ipse Loth frater Saræ, & Nepos Abrahami nuncupabatur Frater ejusdem Abrahami; ut in *Genes. cap. 14.* Legat Studiosus Lector verba Lyrani, & Cornelii à Lapide locis *supra cit.* & dicet cum Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 25. num. 71.* Ecce diffinitam omnem contrarii argumenti caliginem. Non obstat Tertium, quia ut respondet *ibid.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *num. 73.* Thame dixit illa verba, non quia esset licitum id facere cum Regis consensu, sed ut se liberaret de manu impudici Amnonis. Non Quartum ab Exemplo Nationum, apud quas sorores nubebant Fratribus, quia alia plures id non permittebant. Non Quintum, quia infelicem finem obtinuit conjugium Octaviæ cum Fratre suo Nerone, à quo occisa fuit, ut testatur ipse Tirinus, ac Tacitus præcitati. Non Sextum, quia nemo probus dicit, magnam non intervenire turpitudinem in copula carnali inter Fratrem, & Sororem, tam arcto sanguine conjunctos; adeo ut naturaliter horror insurgat ex sola mentis reflexione ad illam, ut fusiùs differunt DD. supra allegati, & præcipue Sanchez *d. lib. 7. disp. 52. num. 11.*

Quo ad Quintum; in quo requiritur, An Papa possit dispensare in omnibus gradibus inter collaterales consanguineos. Respondetur, quod secundum Sectatores primæ supra relatæ opinionis, Papa potest in omnibus gradibus dispensare, etiam in primo, itaut Frater possit ducere in Uxorem Sororem suam ex aliqua justa causa; ut in puncto tenet Basilus Pontius d.

titus d. libr. 7. cap. 32. num. 14. Imò Mastrius d. disp. 7. num. 461. refert, ex testimonio Sylvestri in Summa Verb. Papa. q. 17. Martinum V. dispensasse in dicto primo gradu ex gravissima causa; & idem asserunt Boerius conf. 20. num. 26. & Eminentiſſ. Cardin. Parisius conf. 68. num. 138. vol. 4. At (secundum Defensores secundæ opinionis) Papanon potest dispensare in dicto primo gradu; quia id est veritum jure naturæ, in cæteris verò gradibus ulterioribus utique dispensare potest, ut omnes DD. scribunt in cit. cap. Gaudemus. De Divort. & Justus in d. libr. 2. cap. 3. num. 70. ubi notabiliter dicit, hanc Pontificiam facultatem procedere etiam in combinatione primi, & secundi gradus linearæ inæqualis; videlicet si ageretur de concedenda dispensatione, ut Patruus posset ducere in Uxorem neptem, idest filiam fratris sui.

Hujus dispensationis legitur Exemplum in Annalibus Illustrissimi, ac Reverendissimi Marci Baptaglini Episcopi Nucerinæ de Sacerdotio, & Imperio ad Annum Christi 1642. n. 13. ubi narrat, Urbanum Papam VIII. dispensasse, ut Princeps, ac Cardinalis Mauritius de Sabaudia contrahere posset Matrimonium cum Principissa Ludovica Maria filia fratris ipsius, ac ejus Neptæ, ad sedandas bellicas discordias, in Reali illa Familia, post mortem Ducis Victorii Anno 1637. sequutam, grassantes. Audiat Studiosus narrationem dispensationis prædictæ, quam iidem Annales d. Anno 1642. num. 18. referunt his verbis: *Anche nell'estreme parti dell'Italia estendeanſi le cure di Urbano VIII. ed havendo commesso strettamente al Nunzio di Savoia di procurare la concordia frà quella Casa, eraſi finalmente concluſa; convenendo la Duchessa (Vedova) Reggente con i Principi Maurizio Cardinale, e Tomaso suoi Cognati di lasciar loro una portione del Dominio durante la minorità del Duca pupillo, e che il Cardinale depoſta la Porpora si accoppiasse in Matrimonio con Ludovica Maria sorella del piccolo Duca, sua Nipote, cedendoli in governo la Città di Nizza con le di lei pertinenze; ed al Principe Tomaso quella d'Innerea, ed il Bieleſe con Titolo di Luogotenente del Duca; rimanefſe poi alla Duchessa l'autorità di Reggente, con obbligo però di ammettere i Cognati nel Conſiglio, ed alla partecipazione d'ogni negozio d'importanza.*

Stretto à questo modo l'accordo, il Cardinale Maurizio depoſte il Cardinalato, e con la debita Dispensatione Pontificia si sposò alla Nipote; la quale, se bene tenera d'anni, vivaciſſima di spirito, nello stesso giorno, che dovea sposarsi al Zio, tanto diſuguale di età, diſſe allo stesso Nunzio Apoſtolico, che se era in ordine l'Altare nella Capella per la funzione dello Sposalizio, la Vittima era pronta da ſagrificarsi al ben publico della concordia, conſiderandoſi ella tale &c.

Igitur si duo collaterales reperiantur unus in primo gradu, & alter in secundo, Papa ex justa causa potest dispensare, ut hi simul contrahant Matrimonium; & huiusmodi dispensationem fuisse illam Martini V. asseram à Summa Sylvestrina, ut dictum est supra num. 35. est intelligendum, si tamen vera fuit in factis. Cumque Pontifex posset dispensationem concedere super primo, &

Doct. Clericati Tom. II. Lib. VI.

secundo gradibus simul combinatis, multò magis eam elargiendi facultatem habere fatendum est in secundo, tertio, & quarto gradibus; tam si impedimenta proveniant ex uno stipite, quàm si ex diversis stipitibus; Papa enim in toto jure canonico potest valde dispensare. cap. Proposuiſti. De Conſeſſ. Præbend. Salas de legib. disp. 20. ſeſſ. 3. num. 16. Loterius lib. 2. quæſt. 41. num. 8. ea ratione, quia qui potest jus condere, potest in eo dispensare. cap. Inferior ſedes diſt. 21. Farinacius conf. crimin. libr. 1. conf. 85. num. 88. & Diana part. 8. tract. 1. reſol. 92. Quæ est in Coordinato tom. 3. tract. 2. reſolut. 126.

Quo ad Ultimum, in quo quaeritur, Quibus pœnis, ac pœnitionibus afficiantur consanguinei in gradibus prohibitis Matrimonium simul contrahentes? Respondetur: Primò, prædictos incestuosos Conjuges ipso jure esse excommunicatos per Clem. 1. De Conſanguin. & Affinit. nisi eos excusaret bona fides, vel invincibilis ignorantia. Carol. Ant. Thesaurus de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Matrimonium cap. 5. num. 1. ubi advertit, quòd antequam denunciarentur excommunicati ab Episcopo, si se separaverint ab invicem, censura non est reservata, & à quocunque Confessario possunt absolvi. At sequuta denunciatione, non nisi ab Episcopo. Secundò, prædicti conjuges, si Matrimonium consummaverint, sunt infames. cap. Conſanguineor. 3. q. 4. Farinacius q. 149. num. 139. Julius Clarus. 5. Incestus. Vers. Hæc autem. Tertio prædicti sunt irregulares, itaut evadant incapaces Ordinum, ac Beneficiorum. Majolus de Irregular. lib. 5. cap. 39. num. 1. Quarto eorum filii sunt illegitimi, & secundum quid infames, nisi bona fide, & cum ignorantia impeditenti geniti fuerint. cap. Conjunctiones. 35. q. 3. Sanchez libr. 8. disp. 34. num. 46. Quintò prædicti carere debent spe obtinendæ dispensationis. Concil. Trid. ſeſſ. 24. de Ref. Matrim. cap. 5. Sanchez libr. 7. disp. 25. num. 27. & ideo quodcumque copula carnalis habita est inter consanguineos spe facilioris dispensationis, id est semper exprimendum in Supplicatione, aliàs dispensatio est irrita, & nulla. Sanchez d. libr. 8. disp. 25. num. 21. & 22. Thesaurus d. cap. 5. num. 5. Et Sextò puniuntur etiam à Deo flagellis suæ Divinæ Justitiæ, quæ non ſinit sine vindicta in hoc quoque mundo Nuptias incestuosas, ut ex ſequentibus Exemplis.

De Heraclio Imperatore, qui propria auctoritate incestuosas Nuptias cum Neptæ sua inivit. sic scribit Spondanus ad Annum Christi 613. num. 1. Eodemque Anno idem Heraclius, defuncta jam ante Uxore, incestuosas Nuptias contrahens, Neptem suam Martinam in Matrimonium duxit, Augustamque nominavit, coronatam à Sergio Constantinopolitano Episcopo: sed detestandum id facinus gravi vindicta à Deo punitum esse, docent Zonaras, Cedrenus, atque alii, dum turpia, atque nefanda, quæ inde paſſus est Heraclius, referunt. Idem Spondanus de eodem Heraclio Anno 1641 num. 1. hæc habet: *Heraclius Augustus ubi imperaſſet annos 31. infelici exitu vitam clauſi, conſectus arumnis animi, corporisque moleſtiis; ea paſſus, quæ pudet referre: ſed & præter alios corporis egritudines, magnoperè hydropiſi laboravit.*

T

Sed

Sed horrenda est puniatio, quam ex Annalibus Eminentiss. Cardin. Baronii Anno 998. transcribit Bagatta in *Admiran. Orbis Christi. tom. 2. libr. 1. cap. 2. §. 2. num. 7.* his verbis: Robertus Galliarum Rex, Avus Philippi, qui in paterni Juris sceptris successit, propinquam sibi copulavit Uxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia collum, & caput habentem, quos etiam Virum, & Uxorem omnes ferè Galliarum Episcopi, communi simul, excommunicavere, Sententia. Et deinde: His autem Rex coarctatus angustiis, ad sanum consilium rediens, divortium fecit, initque legale connubium.

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quid sit Cognatio Spiritu-
lis dirimens Matrimonium, & à quo
Jure procedat? Ostenditur, à quibus
contrahatur personis? Et in his quæ
requisita sint necessaria ad eam con-
trahendam? Explicantur plurimi ca-
sus, in quibus, vel ex DD, placito,
vel ex declarationibus Sacræ Congre-
gationis contrahitur: vel non, à Pa-
trinis ipsa Cognatio? Referuntur pœ-
næ, & punitiones ex Sacris Canonibus,
& ex Historiis contra Cognatos
Spirituales, qui inter se contraxerant
Matrimonium.

SUMMARIUM.

- 1 Cognationis Spiritu-
alis definitio, ac declaratio.
- 2 An ex Sacramento Penitentie insurgat?
- 3 Circumstantia Filiationis Spiritu-
alis an ex-
primenda in Confessione?
- 4 Cognatio Spiritu-
alis impedit, ac dirimit
Matrimonium.
- 5 Oritur ex Jure Ecclesiastico.
- 6 Cognatio Spiritu-
alis afficit nunc personas
quinque tantum. Et quæ?
- 7 Cognati Spirituales antiquitus plurimi.
- 8 Procurator tenens Filium alieno nomine ad
Fontem an contrahat Spiritualem Cognationem?
- 9 Civitas, vel Universitas an contrahat hanc
Cognitionem, si ejus nomine levetur puer
de Fonte?
- 10 Requisita quinque in Patrino, ut contrahat
Spiritualem Cognationem.
- 11 Catechumenus, & non baptizatus Patrinus
illam non contrahit.
- 12 Patrinus in Confirmatione si ipse confirma-
tus non sit, illam non contrahit.
- 13 Designati debent esse Patrini, ut Cognatio-
nem Spiritualem contrahant.
- 14 Patrini, licet plures, si sint omnes designati,
omnes contrahunt illam.
- 15 Patrinus levans e Fonte puerum per erro-
rem illam non contrahit.
- 16 Baptismo in privato an contrahatur Spi-
ritualis Cognatio?

- 17 Baptizans semper illam contrahit; &
num. 27.
- 18 Assistentia sola Patrini non facit contrahere
Cognitionem.
- 19 Patrini à Jure prohibitis, si teneant ad Fontem
Cognitionem non contrahunt.
- 20 Patrini qui esse non possint?
- 21 Monachi, & Regulares omnes prohibentur
esse Patrini.
- 22 S. Gregorius Magnus fuit Patrinus filii
Mauritii Imperatoris.
- 23 Unus tantum Patrinus, vel unus, & una
admittendi ad Fontem.
- 24 Parochus ex Officio potest repellere Patrinos
indignos, & alios vocare.
- 25 Filii baptizantis, vel Patrinorum nullam
contrahunt Cognationem.
- 26 Adoptivi Parentes non contrahunt Cognationem
Spiritualem cum Patrinis.
- 28 Cognatio Spiritu-
alis aliquando duplicatur.
Et quomodo?
- 29 Pater baptizans, vel tenens suum filium
ad Baptismum peccat mortaliter;
- 30 Et amittit Jus petendi debitum.
- 31 Episcopus dispensat super Jure petendi de-
bitum.
- 32 Excommunicati sunt Cognati Spirituales si
simul Nuptias ineant.
- 33 Papa recusat dispensare, ut Patrinus ducat
in Uxorem filiam Spiritualem.
- 34 Ordo Imperator punitus à Deo, quia duxit in
Uxorem Commatrem suam.
- 35 Mediolanensis Regii Præsidis infelix Matri-
monium cum filia Spirituali.
- 36 Patrini Officium recusare, quando, sit pec-
catum?
- 37 Diabolus intrat in Nobilem recusantem le-
vare ad Fontem filium agricole.

Post Cognationem carnalem sequitur Cognatio Spiritu-
alis, quæ ad similitudinem præ-
cedentis, in regeneratione, quæ fit hominis
Christiani in Baptismo, tum quodammodo in
Confirmatione, contrahitur, & habet vim
dirimendi Matrimonium, si fortè illud ineant
personæ adinvicem Spirituali hac Cognatione
conjunctæ; idcirco de ea quinque sunt bre-
viter videnda.

- 1 Quid sit?
- 2 Quo jure sit introducta?
- 3 Inter quas Personas Matrimonium dirimat?
- 4 Quæ requisita sint necessaria in iisdem per-
sonis, ut inter se Cognationem Spiritua-
lem contrahant?
- 5 Quibus pœnis, & punitionibus afficiantur
Cognati Spirituales invicem Nuptias
ineantes?

Quo ad Primum. Cognatio Spiritu-
alis est propinquitas personarum, ex administratione, re-
ceptione, ac susceptione Sacramentorum Baptismi,
& Confirmationis, Matrimonium impediens, ac di-
rimens, si, postquam ipsa sit contracta, ab iisdem Co-
gnatis Spiritu-
alibus invicem ineatur, ex Statuto Ec-
clesiæ consurgens. Dicitur, quodd est propinquitas
persona-